

epocha Christi vulgaris, utpote a vulgo communiter usurpata in annis Christi computandis post Dionysium Exiguum ejus inventorem, incipit a primo die Januarii anni 46 Juliani, seu reformationis Julii Cæsaris, qui annus congruit cum anno 4714 periodi Julianæ; adeo ut in illo systemate Christi Nativitas vulgo referatur ad diem 25 Decembris anni 45 Juliani, periodi Julianæ 4713. Quamvis tamen accuratiores chronologi cum Lancelloto apud Purchotium, *loc. cit.*, § *Verum*, ostendant, Christi Domini nativitatem quadriennio ante hanc epocham Dionysianam contigisse, nempe die 25 Decembris anni Juliani, seu reformationis Julii Cæsaris 41, periodi Julianæ 4079, mundi 4000, anno 4 olympiadis 193, ab Urbe condita 749, anno imperii Augusti a morte Julii Cæsaris 40, a victoria Actiaca 27, anno regni Herodis Magni 36. Sic ille. Unde probabilior videtur hæc epocha, quam illa Dionysii Exigui abbatis, natione Seythæ, moribus Romani, qui primus omnium circa initium sexti Ecclesiæ sæculi annos a Christo nato numerare cepit: nam ante Dionysium Exiguum Christiani annos numerabant, vel per Olympiades Græcorum, vel per Romanorum consulatus, vel ab Urbe condita, vel etiam ab impii Diocletiani persecutione; quapropter æra vulgaris Christianorum appellata est a chronologis *Dionysiana*, ut tradit Purchotius, *l. c.*, § *Epochæ sacræ*, vers. *Verum ut ad communem*.

(69. Cum autem nequeat certo assignari, quænam ex supra recensitis, et relatis opinionibus de annis ab orbe condito ad æram Christi vulgarem effluxis sit verior, ipsis omnibus in sua probabilitate relictis, hic præstat adducere solum id, quod Rosiana tenet et servat Ecclesia ac canit in Martyrologio Vigilæ Nativitatis ejusdem Domini Nostri Jesu Christi, nempe: « A creatione mundi, quando in principio Deus creavit cælum et terram, quinquies millesimo centesimo nonagesimo nono. A diluvio vero, anno bis millesimo nongentesimo quinquagesimo septimo. A nativitate Abraham, anno bis millesimo quinto decimo. A Moysæ, et egressu populi Israel de Ægypto, anno millesimo quingentesimo decimo. Ab unctione David in regem, anno millesimo trigesimo secundo, hebdomada sexagesima quinta juxta Danielis prophetiam, olympiade centesima nonagesima quarta. Ab urbe Roma condita, anno septingentesimo quinquagesimo secundo. Anno imperii Octaviani Augusti quadragesimo secundo, toto orbe in pace composito, sexta mundi ætate, Jesus Christus æternus Deus, æternique Patris Filius, mundum velens adventu suo piissimo consecrare, de Spiritu sancto conceptus, novemque post conceptionem decursis mensibus, in Bethlehém Judæ nascitur ex Maria Virgine factus homo.

(70. Aliæ epochæ sacræ habentur supra n. 63 et 64 in adductis juxta diversitatem chronologorum et scriptorum diversis mundi ætatibus, diversisque earum initialibus ac finalibus annis.

(71. Inter epochas profanas præcipua ac prima est, quæ desumitur a Trojæ excidio, quia eæ, quæ Trojanum bellum præcesserunt, nullo certo temporis spatio definiri possunt, cum, teste Diodoro Siculo, *Proem.*, lib. 1: « Nullum certitudinis fulcrum, cui fidamus, ad nos pervenerit. » Hæc itaque epocha incæpit anno Julianæ periodi 3530, ante vulgarem Christi æram 1184. Sic doctissimus Petavius, lib. ix *De doctrina temporum*, cap. 31, et cum eo Genebrardus, Sigonius, Panvinus, Ricciolus, aliique celebriores chronologi citati, et secuti ab eruditissimo Patre Fortunato a Brixia, *loc. cit.*, § *Epocha tertia*.

(72. Secunda inter profanas est epocha olympiadum, seu a ludis olympiacis, apud Græcos præsertim celeberrima, quæ incæpit anno periodi Julianæ 3938, a Trojana clade 408, mundi 3228, ante vulgarem æram Christi 776, ut ex Thucydide, Xenophonte, Petavio, et Eusebio tradit dictus Pater Fortunatus, *loc. cit.*, § *Epocha quarta*, et dictus Purchotius, *loc. cit.*, § *Epochæ profanæ*.

(73. Quid autem fuerint olympiades, et ludi olympiaci? Vide verb. *CALENDARUM*, n. 59.

(74. Tertia est epocha ab urbe Roma condita, quæ, secundum Varronem, incæpit anno tertio olympiadis sextæ, periodi Julianæ 3961, post dirutam Trojam 432, mundi 3251, ante epocham vulgarem Christi 753. Quamvis M. Porcius Cato, et Verrius Flaccus uno anno tardius, quam a Varrone statuatur, eam incæpisse contendant; et Julius Frontinus duobus annis tardius, quam a Varrone assignetur, incæpisse arbitretur. Sic dictus Purchotius, *loc. cit.*, et dictus Pater Fortunatus, *loc. cit.*, § *Epocha quinta*.

(75. Quarta est epocha, seu æra Hispanica, sic dicta, quia Hispani usque ad annum salutis 1383, eam in annis computandis adhibuerunt, cum quatuor initialibus illis litteris *A, E, R, A*, unde nomen æræ desumpsit juxta dicta supra n. 63, et ipsa incæpit an. periodi Julianæ 4676, a Trojano excidio 1146, ab Juliana anni castigatione 8, ante vulgarem æram Christi 37, ut inter alios tradunt dictus Purchotius, *loc. cit.*, et dictus Pater Fortunatus, *loc. cit.*, § *Epocha nona*.

(76. Quarta, et ultima profana epocha (aliis brevitate gratia relictis apud chronologos videndis) est Arabum et Mahometanorum, cujus initium sumitur a fuga Mahometis, seu Mahomedis Arabi, qui cum ob falsæ suæ doctrinæ et sectæ in discrimen vocatus, de vita periclitaretur, ex Mecha Arabiæ urbe in Medinam fugere coactus fuit. Hæc illius pseudoprophetæ persecutio, et fuga contigit anno vulgaris æræ Christi 622, periodi Julianæ 5335, die 16 Julii feria sexta, seu die Veneris recurrente, quæ idcirco apud Mahometanos, seu Turcas est sacra, festiva et solemnitas; et ab hac Mahometis persecutione et fuga suos annos numerant Turcæ et Arabes; eosque annos *hegira*, sive persecutionis appellant. * De

æris Christianis, Judaicis, ethnicis, et Mahometicis accurate agit Guilielmus Beveregius, *Institut. chronologicarum* lib. II, c. 10.

(77. Mundus ab antiquis geographis dividebatur in tres solas præcipuas partes, nempe in Europam, Asiam, et Africam, quæ omnes simul ob id vocantur mundus vetus. A recentioribus autem dividitur in quatuor, addita ipsis tribus antiquis America, quæ communiter appellatur mundus novus, sub quo alii adhuc moderniores comprehendunt additam quintam partem Magellanicam ab ipsis appellatam, ut inter alios notat Abrahamus Ortelius in *Theatro mundi*, in principio, et D. de Ivigne in novo *Dictionario theologico-historico*, etc., idiomate Gallico scripto, verb. *Magellan*.

(78. Europa sic dicta est, ut volunt aliqui, inter quos dictus Ortelius verb. *Europa*, ab Europa Filia Agenoris Phœnicæ regis, raptâ a Jove in forma tauri, ut fingit Ovidius lib. II *Metamorph.*, et ducta in dictam partem; seu, ut volunt alii, sic appellata est a quodam rege nuncupato Euro, qui inter primos ibi imperavit. Ita D. de Ivigne, *loc. cit.*, verb. *Europe*, et alii plures.

(79. Asia sic dicta est, ut volunt aliqui, inter quos dictus Ortelius, *loc. cit.*, verb. *Asie*, et D. de Ivigne, *loc. cit.*, verb. *Asie*, ab Asia nympha, filia, ut finxerunt antiqui poetæ, Oceani, et Thetidis, et muliere Japeti potentissimi; seu, ut dicunt alii, sic nuncupata est ab Asio filio Ænæi Lydi, aut ab Asio celeberrimo philosopho. Ita de Ivigne, et Ortelius, *locis citatis*, et alii plures.

(80. Africa sic dicta ab Afro filio patriarchæ Abraham, et Ceturæ, qui inibi habitavit. Ita Joseph lib. I *Antiquit.*, cap. 15, seu, ut tradunt alii, sic nominata est quasi Africa a sua proprietate, eo quod sit aliis magis soli exposita, et minus frigus in ipsa regnet. Ita de Ivigne, *loc. cit.*, verb. *Africæ*, et Ortelius, *loc. cit.*, verb. *Africæ*, ubi in fine subjungit, quod in ipsa continue conspiciuntur novæ formæ animalium, et monstruosæ creaturæ, unde ortum est vulgare adagium: « Semper aliquid novi fert Africa; » et addi potest aliud: « Africa monstra parit. »

(81. America, novus mundus communiter appellata, sic dicta est ab Americo Vesputio Florentino, qui sub auspiciis Emmanuelis regis Portugalliæ anno 1497 usque ad continentem, seu terram firmam penetravit, insulas inibi existentes prius a Christophoro Colombo Januensi anno 1492, Ferdinandi Hispaniarum regis copiis, et opibus munito, adinventas. Ita D. de Ivigne, *loc. cit.*, verb. *Americ Vespuce* et *Americæ*, ubi in fine addit, quod brevi quinque, aut sex annorum spatio Hispanorum medio plusquam decem milliones illorum gentilium ad veram catholicam fidem conversi sunt, et quod unus solus religiosus mei Seraphici ordinis Minorum de Observantia sacra unda baptismatis lavit, ac initiavit usque ad 14000 et sic etiam referunt alii plurimi.

(82. Et revera non parva pars illius novi adinventi, et ad fidem catholicam conversi orbis debetur meæ seraphicæ religioni, ut clare demonstrant illius in immensum dilatata regionis historici, et nostri Franciscani Annales ad annum 1492 et 1493, ex quibus juvat hic afferre, quæ refert ex Haroldo eruditissimus noster P. Justus Redn in suo egregio opere canonico-politico, tom. II, part. II, sect. 2, a n. 59 ad 62 præcisus his verbis:

(83. « Res maxima parvis initiis hoc anno feliciter incæpta fuit, in qua Christi catholica fides propagationis suæ, et catholici regis Hispaniarum dilatati in immensum imperii, non parvam partem debent Fratibus Regul. obser. S. Francisci. Cum enim Christophorus Columbus Ligur, acris ingenii vir, et nauticæ artis peritissimus, terras, quas ultra occidentalem Oceanum esse dixerat, in animum induceret arte sua detegi posse, ingenti ejus Europæ principis gloria, lucroque, qui auctoritate sua et sumptibus rem aggrediretur, Joanni II Lusitanicæ, Henrico VII, Angliæ, et Carolo VIII, Galliæ regibus suam in ea re operam obtulit: sed passus ab his repulsam, ad Ferdinandum et Isabellam catholicos reges se contulit: verum, cum his quoque res ipsa incredibilis, et experientia magnis sumptibus certo constituta, optato exitu incertissima videretur, Columbus in Beticam abiit, sui propositi plenus, sed omnis auxilii jam plane desperabundus.

« Cum autem, disponente Deo, casu invenisset F. Joannem Perezium a Marchena Minoritam, qui tunc cœnobium Arabidæ, non illius Lusitanicæ prope Ulyssiponam, sed alterius D. pass. ab oppido vulgo dicto *Paolos de Moguet*, Guardianus gubernabat; hunc porro cosmographiæ studiosum, eadem, quæ Columbum, cogitatio frequenter subibat, et vehemens desiderium, animas illas, quæ in tenebris et in umbra mortis sedebant, ad veræ fidei lumen reducendi, habuitque non adeo parum auctoritatis in aula, ut qui reginæ confessionibus excipiendis aliquando servivit: lætus ergo Columbi occursu observationes suas, et vota huic aperit, collatisque tabulis hominem tunc omni spe destitutum eo usque animavit, ut cum ipsius ad Ferdinandum Talavericum tunc reginæ confessarium, et ad ipsam reginam litteris Granatam rediret. Quo demum ipse Perezium ad rem recte percipiendam a regina vocatus, frequenti majestatis suæ colloquio, rem gloriosam, utilem, sanctamque aggrediendam firmissimis rationibus persuasit, et adductis in auxilium præter Talavericum cardinali Mendozio, Ludovico a S. Angelo, et Alphonso Quintavilla, qui tunc apud reges valebant, impetravit, ut certis conditionibus Colombo numerarentur septemdecim aureorum millia et traderentur una navis, duæque zelotes, centum et viginti militibus, cæterisque necessariis instructæ.

(84. « Cum his ille III Non. Augusti Gadibus anchoras contraxit, 33 dierum navigatione per varias minores insulas V. M. miliario-

rum spatio Carimbanam detexit, quam auctorum suae fortunae honore, Hispaniolae nomine consecrare voluit: ubi cum, quidquid indagine dignum videri posset, accuratissime perlustrasset, notassetque praesertim, aurum apud indigenas vix non pro luto haberi, in Hispaniam regressus Ferdinand. regem Barcinona convenit: cum quo, quid egerit, quantumque in vastissimis illis regionibus, non modo fide, et moribus erudiendis, et integris provinciis, regnisque detegendis, atque in catholicae fidei catholicorumque regum fidelitate inter molestissimas turbas et apertas rebelliones continendis, ipsorumque Hispanorum simultatibus compescendis (quibus res maxime non semel in desperationem deductae fuerunt) Deo et principibus praestiterint Fratres S. Francisci, tum anno proxime sequenti, tum aliis succedentibus referemus.

(85. « Et ad annum 1493, Christophorus Columbus, quem anno praecedenti laetum illum a se detectae Hispaniolae nuntium ad Ferdinandum catholicum regem Barcinonam tulisse diximus, alteram hoc anno navigationem aggressus est, acceptis navibus, personis, et rebus, quae numero et qualitate sufficere videbantur, ut insulam illam, aliasque Hispanorum regum imperio subjugaret, fideique magistris, qui barbaras nationes ad verae fidei normam erudirent, praesertim Franciscanis, ac praeter alios Joanne Perezio a Marchena, quem diximus praecipuum primae navigationis promotorem fuisse, qui stramineum in primis tugurium construxit, in eoque rem sacram omnium primus fecit, et SS. eucharistiae sacramentum reposuit, atque ita haec prima omnium occidentalis Indiae Ecclesiarum fuit.

« Secundam vero huic proximam idem Perezio opere tumultuario sub invocatione S. P. N. Francisci, adjuncta pro consodabilibus habitatione, construxit in ea civitate quam Columbus mox aedificavit, indito nomine S. Dominici, ob sui patris memoriam, qui Dominicus nominabatur. Hoc vero cenobium ipse Columbus in gratiam Perezii, cui suam fortunam post Deum acceptam ferebat, ditior factus magnificentius et polito lapide construxit; et omni necessaria suppellectili, pro sua in S. Franciscum pietate, et incolarum statu exornavit, crescente in dies erga fratres insularum devotione, quos sacris documentis et religiosissimae vitae exemplis ad fidem et pietatem inducebant. » Sic F. Franciscus Haroldi in *Epitome histor. ord. Min.* ad annum 1492 et 1493.

(86. Magellanica sic dicta est a Ferdinando Magellano Lusitano, qui hanc nuncupatam quintam Mundi partem adinvenit, et nomine regis Hispaniarum conquistavit anno 1520. Ita D. Antonius Chiusole in sua *Geographia* sub titulo *Mundi antiqui et moderni*, Italice scripta, t. II, c. 18, § 15; De l'ivigne, l. c., verb. *Magellan*; Abrahamus Ortelius, l. c., verb. *Mundus*, et alii passim, notantes, quod major et maxima hujus

Magellanicae partis portio est adhuc incognita.

(87. Mundus, ad uberiores ejus intelligentiam, dividitur adhuc in quatuor partes, nempe in continentem, insulam, peninsulam et isthmum. Continens, seu terra firma intelligitur pro quavis terra, quae nec est insula, nec peninsula, nec isthmus. Insula est terrae portio undequaque aqua circumdata. Peninsula, seu graece *χερσόνησος*, est media insula circumdata quidem aqua, sed ex una parte annexa, seu unita terrae. Isthmus est terrae portio valde stricta inter duo maria inclusa, uti est terra in medio Americae inter mare Septentrionale, vulgo *Mare del Nord*, et mare Pacificum, vulgo *Mare del Zur*.

(88. Mundus quatuor habet spatia, seu plagas, quae communiter a Latinis vocantur *quatuor mundi plagae, sive mundi cardines*. Ubi enim oritur sol, vocatur *Oriens*; ubi sol occidit, appellatur *Occidens*; ubi sol reperitur circa meridiem, nominatur *Meridies*; et plaga contra meridiem nuncupatur *Septentrio*.

(89. Et secundum has quatuor mundi plagas cardinales, quatuor etiam sunt venti principales, vocati *venti cardinales*; ventus enim, qui spirat ab Oriente vocatur *Eurus*, seu *Subsolanus*; ventus qui spirat ab Occidente, appellatur *Zephyrus*, seu *Favonius*; ventus qui spirat a Meridie nominatur *Auster*, seu *Notus*. Et ventus, qui spirat a Septentrione nuncupatur *Boreas*, seu *Aquilo*.

(90. Praecipua et celebriora inter alia mundi systemata nunc in scholis tum astronomicis, tum physicis vigentia, tria sunt: nempe systema Ptolemaicum, Copernicanum et Tychoenicum. (91. Systematis autem nomine intelligitur communiter: « Constitutio, seu dispositio quaedam universi, ejusque partium inter se, explicandis motibus, caeterisque astrorum phaenomenis accommodata. » Cum enim astronomi diu observassent diversos astrorum aspectus, quaedam sibi finxerunt systemata, seu hypotheses, quibus motuum illorum rationes redderent, eorumque apparentias salvarent, ac totam mundi fabricam positione, et ordine omnium sui partium representarent.

(92. Primum igitur, et vetustius systema inter tria praedicta est *Ptolemaicum*, sic dictum a *Ptolemaeo* veterum astronomorum facile principe, qui saeculo Christi secundo floruit, et dicto systemati ultimum complementum dedit, ob idque ab ipso denominatum, quamvis ipse non fuerit illius primus auctor, cum tale systema tenuerint Plato, Aristoteles, Eudoxus, et clarissimi fere omnes astronomi ipso Ptolemaeo antiquiores.

(93. Systema mundi Ptolemaicum in centro universi globum terraeque immobilem statuit, quem ordine ambiunt sphaerae primo aeris et secundo ignis; deinde succedunt orbis planetarum hoc ordine, nempe prius orbis lunae, deinde Mercurii, Veneris, Solis, Martis, Jovis, Saturni; ac postea se-

quitur firmamentum, seu caelum stellarum fixarum, quibus adduntur caeli duo crystallini et primum mobile, qui sunt caeli sine stellis; sicque undecim orbis in caelesti illa, supernaque regione juxta hanc hypothesim, seu systema numerantur; et quamvis Ptolemaeus nullam penitus de caelorum soliditate mentionem fecerit, omnes tamen hujus hypothesis, seu systematis patroni, caelos solidos et consistentes voluerunt, arbitrati fieri non posse, ut ea, quae admiramur, constanti lege astrorum motus in subtili, fluidaque substantia peragantur.

(94. Hoc systema fere ab omnibus antiquis fuerat receptum: at nostris hinc temporibus fere ab omnibus rejicitur, cum experimento compertum sit, omnino repugnare, quod tota regio planetica debeat esse solida, ita ut planetae suis orbibus sint affixi et non nisi cum eis moveantur; nam si regio planetica non esset fluida, etsi ipsi planetae affixi essent caelis solidis, non possent ex uno caelo in aliud descendere absque penetratione, quae naturaliter est impossibilis, cum tamen certum sit, planetas nunc ascendere, et nunc descendere: nam Mercurius, Venus et Mars aliquando sunt supra solem et aliquando infra. Tum quia tot orbis, seu circuli *eccentrici* et *epicycli*, seu parvi circuli constituti a Ptolemaicis ad planetarum phaenomena explicanda ipsismet planetarum phaenomenis contradicunt, ut patet de incremento et decremento luminis Veneris et Lunae, et de pluribus aliis hujusmodi, quae post systema a Tycho adinventum, omnes fere astronomi repugnare fatentur.

(95. Secundum mundi systema inter praedicta est *Copernicanum*, sic dictum a Nicolao Copernico Canonico Vormiensi Torunnæ in Borussia, id est Prussia Polonica, nato an. 1473, die 19 Febr., qui in hoc systemate stabilendo, illustrando, ac perficiendo continuo 30 annor. labore, ac studio, nempe ab anno 1500 ad an. 1530, incubuit. Hoc tamen systema, licet non ita purgatum et clarificatum, jam tenerant Pythagoras, Heraclides Ponticus, Nicetas Syracusanus, Ecophantus, Leucippus, Plato, aliique vetustissimi philosophi et astronomi, et postquam fuit plene illustratum, ac perfectum a Copernico, ipsum secuti sunt plurimi recentiores, ut Joachinus Rheticus, Keplerus, Galilaus, Simon Sterinus, Philippus Lansbergius, Ismael Bullialdus, Renatus Cartesius, Newtonius et alii, qui omnes hanc communiter appellatam *Copernicanam hypothesim* pro suis viribus et ingeniis omnino tulerunt.

(96. Hoc Copernicanum systema solem in centro universi immobilem constituit, circa quem vult, quod primo moveatur Mercurius, secundo Venus, tertio terra conjunctim cum luna, ac successive Mars, Jupiter, Saturnus. Ultra omnes has planetarum, ac terrae orbitas ponit sphaeram stellarum fixarum omnino immobilem, et in immensum pene spatium diffusam. Ad salvandas solis

apparentias, tres motus tribuit terrae, ipsam veluti planetam mobilem constituens: unum nempe circa proprium axem, seu centrum ab occasu in ortum 24 horarum intervallo, qui *diurnus* appellatur, eo quod ab eo constituitur; alterum in magno orbe, seu zodiaco circa solem, secundum seriem signorum, qui vocatur *annus*, eo quod unius anni spatium perficiatur; tertium denique motum *parallelismi*, seu *inclinationis*, sic dictum, eo quod ipso mediante terrae axis in annua ejusdem revolutione sibi semper parallelus existit, eandemque caeli partem perpetuo respicit; unde fit, ut dum terra motu annuo circa solem convertitur, solitae tempestatum vicissitudines statis temporibus redeant. Hinc axis terrae sibi ipsi, et axi aequatoris, seu mundi semper parallelus in ea hypothesi concipiendus est, et appellat ipsum etiam motum *inclinationis*, quia terra, ut dicit ipse, modo in unam sui partem axi proximam, et modo in alteram oppositam parum deflectit.

(97. At vero hoc Copernicanum systema utpote manifeste contrarium sacrae Scripturae, aliis omissis rationibus, est tanquam thesis penitus rejiciendum: quod enim sol moveatur, habetur expresse in pluribus sacrae Scripturae locis. *Genes.* enim 1, 14: *Dixit Deus: Fiant luminaria in firmamento caeli et dividant diem, ac noctem, et sint in signa et tempora, et dies, et annos;* quibus verbis aperte demonstrat, dies, noctes et anni tempora horum magnorum luminarium solis et lunae decursu constitui, et maxime solis, qui suo ad nos accessu, et recessu constituit *signa* quatuor anni temporum, veris, aestatis, autumnii, hiemis, atque sua regulari circuituione horas, dies, noctes, menses et annos ordinat, quod non posset facere, si esset immobilis absque ullo penitus motu. Sic *Josue* x, 12 et 13, expresse habetur: *Tunc locutus est Josue... dixitque coram eis: Sol, contra Gabaon ne movearis, et luna contra vallem Ajalon. Steteruntque sol et luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis... Stetit itaque sol in medio caeli, et non festinavit occumbere spatium unius diei.* Et *Ecclesiastes* 1, 5 et 6: *Oritur sol et occidit, et ad locum suum revertitur, ibidem renascens. Gyrat per meridiem, et flectitur ad Aquilonem: lustrans universa in circuitu pergit spiritus, et in circulos suos revertitur.* Et *Isaiae* xxxviii, 8: *Reversus est sol (in horologio Achaz) decem lineis per gradus, quos descenderat;* juxta id quod habetur etiam *IV Reg.* xx, 11, et *Matthaei* v, 45, Christus ipse dicit: *Qui solem suum oriri facit super bonos et malos.* Et Apostolus ad *Ephesios* iv, 26, dicit: *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Quod autem terra firma stet, et non moveatur, habetur *Paralipomenon* I, xxvi, 30: *Ipse enim fundavit orbem immobilem;* et *Psal.* xci, 1: *Etenim firmavit orbem terrae, qui non commovebitur;* et *Psal.* ciii, 5: *Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in saeculum saeculi;* et *Proverb.* viii, 29: *Quando appendebat fundamenta terrae;* et *Ecclesiastes*

1. 4 : *Terra autem in aeternum stat.* Hinc jure merito Copernici, Pythagoræ, Galilæi, suorumque sequacium opinio de motu terræ et solis quiete, tamquam contraria sacræ Scripturæ anno 1633, sub Urbano VIII proscripta est, ut temeraria et hæretica (*Vide not. theol. Romani ad verb. HÆRETICUS*, num. 16), apud Ricciolum lib. ix *Almagesti*, et Fortunatum a Brixia in cit. *Philosophia mechanic.*, t. II, tr. 1, diss. 2, proposit. 3, ac Ursayam, *Instit. criminal.*, lib. I, t. VI, *De crimine hæresis*, n. 2, ubi habet præcisa hæc verba : « Si aliquis hodie asseveraret, terram esse mobilem, solem vero orbis centrum et immobilem, esset hæreticus, quia contrarium a sacra congregatione sanctissimæ Inquisitionis definitum fuit die 22 Junii 1633, teste Caferr., in *Syntagmat. vetustat.*, ad d. diem 22 Junii.

(98. Nec valet, quod Copernicani dicant, suam opinionem de terræ motu fulciri etiam pluribus sacræ Scripturæ textibus, ut *Psal. LXXVI, 19 : Commota est, et contremuit terra; Psal. LXXXI, 5 : Movebuntur omnia fundamenta terræ; Psal. XCIII, 9 : Commoveatur a facie ejus universa terra; Job IX, 6 : Qui commovet terram de loco suo, et columnæ ejus concutiuntur*, cum similibus. Non valet, inquam, quia isti Scripturæ textus, et alii consimiles non sunt intelligendi de motu terræ vero et proprio, sed de motu terræ metaphorico, nempe sumendo terram pro hominibus illius incolis, qui vel timore, vel stupore, aut lætitia ad occurrentia divinitus prodigia commoventur; vel intelligendi sunt de motu violento et extraordinario, quo, Deo volente, interdum terra concutitur, ut patet in tot terræmotibus; quibus non solum urbes, sed et interdum integræ provinciæ sunt concussæ et eversæ.

(99. Nec valet instare, quod in tali metaphorico et improprio, ac apparenti terræ motu essent intelligendi etiam Scripturæ textus pro nostra sententia de terræ quiete et solis motu, quemadmodum navigantibus stare navim, ac littora moveri videntur, juxta illud Virgilii, lib. III *Æneid.*, vers. 72, ibi :

Provehimur portu, terræque, urbesque recedunt;

cum Scriptura sæpe ad vulgi captum sese accommodet, ut cum lunam vocat *luminare magnum Genes.*, I, 16, quamvis re ipsa sit luminare fere omnium minimum. Non valet, inquam, quia intelligentia de vero et proprio motu solis et terræ quiete in textibus Scripturæ pro nostra sententia adductis, est sic explicata et definita ab Ecclesia (*Vide notam mox cit.*) ex supradictis. Non sic autem in illis pro contraria opinione allatis; ad illud autem de luna, quæ vocatur *luminare magnum*, responderetur, quod sic appellatur ratione magnæ efficacæ, quam præ cæteris astris Sole excepto qui vocatur *luminare majus*, habet in sublunaria. (100. Tum quia (quamvis ex illis Scripturæ textibus, aliisque rationibus a Copernicanis allatis, defendi possit Copernicanum systema ut

hypothesis ut anno 1620 concessit ipsamet sacra sanctissimæ Inquisitionis congregatio, ut testantur Purchotius, *loc. cit.*, cap. 3, vers. *Respondeo primo*; Pater Fortunatus, *l. c.*, § *Propositio tertia* et alii : quia in hypothesis nihil omnino affirmatur ut in rerum natura actu positum, sed tantum ut possibile juxta illud Ciceronis lib. v, *Qq. Tusculanarum*, ibi : « Licet aliquid fingere docendi causa » (nec per talem hypothesis habetur terram revera moveri localiter : sed solum, si terra localiter moveretur, quod tamen non est verum, optime omnia phænomena tum ad physicam, tum ad astronomiam spectantia salvarentur et facilius eorumdem ratio reddi posset), nullimode tamen systema Copernicanum de motu terræ et solis quiete defendi potest ut *thesis*, seu assertio, cum id ex supra dictis constat esse ab Ecclesia proscriptum. (101. Illud autem est discrimen inter *thesim* et *hypothesim*, quod *thesis* rem ita esse et revera existentem asserit et concludit et ut talem defendit; *hypothesis* vero nihil omnino certo asserit ut revera actu existens, sed solum ex re certo modo constituta aliquid ut possibile deducit, sed, an res ita sit, non decernit.

(102. Tertium mundi systema inter prædicta, est Tichonicum, sic dictum a Tichone Braheo, nobili Dano, astronomiæ restauratore, qui cum animadverteret systema Ptolemaicum rationi et experientiæ et Copernicanum sacræ Scripturæ, ac phænomenis adversari, adhibitis pluribus peritissimis mathematicis, libratibus astrorum motibus, eorumque phænomenis accuratis observationibus, ingentique labore et studio expensis, circa finem XVI sæculi, regnante in Dania Christierno IV novum systema medium inter Ptolemaicum et Copernicanum, ac satis verosimilius composuit.

(103. Tichonicum igitur systema ponit terram, lunam et solem ut Ptolemæus, id est ponit terram ut vere immobilem pro centro firmamenti solis et lunæ; at solem facit centrum orbium Saturni, Jovis, Martis, Veneris et Mercurii, ut Copernicus. Unde apud ipsum, firmamentum stellarum fixarum locus est extrema mundi pars, in cujus centro reperitur terra immobilis, circa quam moventur luna et sol; circa solem vero cæteri planetæ. Tria quippe in hoc systemate *mobilia* circa terram, tamquam circa centrum, vertuntur; luna quidem, quæ ipsi proxima est motu menstruo; sol qui est remotior et quasi medius motu annuo; firmamentum denique, seu sphaera fixarum stellarum, quæ remotissima est, motu lento nempe 2500 annorum. Et hoc Tichonicum systema est nostris hisce temporibus communius receptum, utpote facilius systemate Ptolemaico, non habens tot *excentricos*, id est circulos, qui non habent idem centrum ac terra et *concentricos*, id est circulos, quorum idem est, ac ipsius terræ centrum; et utpote naturalius systemate Copernicano, sinens in sua naturali quiete terram, quin eam ut planetam mobilem constituat, faciens nos vel-

uti muscas in terræ motu per aerem evolare.

(104. Alia fere infinita reperiuntur mundi systemata ab eruditissimis philosophis et mathematicis adinventæ. At hic solum placent tria inter alia celebriora adducere, sinendo ut in reliquis quisque sibi præfigat quot unquam positiones maluerit, pro certo habens, quod nemo, quantumvis in his versatus, doctus et eruditus, poterit comprehendere, quoniam mirifico artificio fuerit a Deo universus hic ordinatus; unde, ut recte notat Paulus Rubeus, in annotationibus ad decis. 320 Rotæ recentior., part. IX, tom. II, n. 54, astrologi et astronomi tam intrepide de planetis cælestibus verba facientes possent facite interrogari una cum Diogene, « Quandonam de celo venistis? » cum apposite currat illud vulgatum, « quantum metitur astronomus, tantum mentitur astrologus. »

(105. Mundus est rotundus, sive sphaericus : colligitur in primis ex sacra Scriptura; *Proverb.* enim VIII, 27 dicitur quod divina Sapientia gyro vallabat abyssos, seu, ut habet lectio hebraica, *describebat circumulum super faciem abyssi*; et *Ecclesiastes* I, 5 et 6, habetur : *Oritur sol et occidit et ad locum suum revertitur : ibique renascens, gyrat per meridiem et flectitur ad Aquilonem : lustrans universa in circuitu pergit spiritus et in circulos suos revertitur*; quæ vera esse non possent, si mundus non esset vere rotundus et perfecte sphaericus. Tum quia innumeris sacræ Scripturæ locis mundus nomine orbis nuncupatur, ut patet *Gen.*, XLIII, 54, ibi : *In universo orbe fames prævaluit*; II *Reg.* XXII, 16, ibi : *Revelata sunt fundamenta orbis*; *Esther*, IX, 28, ibi : *Cuncta in toto orbe provinciæ*; *Job*, IX, 13, ibi : *Curvantur, qui portant orbem*; *Psal.* XXXII, 8, ibi : *Omnes inhabitantes orbem*; *Proverb.* VIII, 26, ibi : *Cardines orbis terræ*; *Sapient.* I, 7, ibi : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*; *Isaie* XVIII, 3, ibi : *Omnes habitatores orbis*; *Luca* II, 1, ibi : *Ut describeretur universus orbis*; *Act.* XI, 28, ibi : *In universo orbe terrarum*; *Rom.* X, 18, ibi : *In fines orbis terræ verba eorum*; *Apocalypsis* III, 10, ibi : *Quæ ventura est in orbem universum*; XII, 9, ibi : *Qui seducit universum orbem*, et sæpissime alibi. Hinc, ut habetur in *OEdipo Ægyptiaco Cl. Kircherii*, Rabbini Ramba et Abenezra in apice arboris, quam vocant *Zephyroth*, circumulum posuerunt complectentem triangulum, in cujus centro oculus inspiciebatur cum hac inscripta gnome : *Ex archetypo triangulo profluxit mundus*; quo mathematico schematico, ex viri doctissimi interpretatione, non aliud indicare voluisse videntur, nisi mundum sphaericam figuram donatum, ex *ineffabili unitate per binarium in ternarium profluxisse*; ut tradit eruditissimus P. Fortunatus, *l. cit.*, tom. III, tract. 1, dissert. 1, prop. unica.

(106. Mundi rotunditas experimento constat ex itineribus circa ipsum in orbem peractis, comprobaturque ex ortu et occasu siderum, eorumque apparitione et occulta-

tione : siquidem sol, aliaque astra tardius oriuntur iis, qui occidentem versus pergunt, quam iis, qui ad orientem : id ipsum demonstrant eclipses solis et lunæ, quæ, licet incipiant per universum orbem in eodem puncto, nihilominus tardius videntur ab Orientalibus quam ab Occidentalibus, ut patet in eclipsi lunæ, quæ, si hic apud nos incipiat tertia hora noctis, longe abhinc triginta gradibus versus orientem, incipiet tardius duabus horis, nempe quinta hora noctis, quod aperte ostendit mundum esse rotundum ab oriente ad occidentem : sic etiam ejus rotunditas a septentrione ad meridiem comprobatur ab iis, qui versus polos pergunt : secundum enim quod progrediuntur, vident aliquas stellas ante se, quas prius non videbant, et sic sensim cessant videre eas, quæ retro remanent; quod clare demonstrat, mundum etiam a septentrione ad meridiem esse rotundum; sicque rotundum ex omni parte, quoniam si planus esset et non rotundus, undique et ubique conspicerentur eadem stellæ et in eodem situ, et sol omnes simul illuminaret in eodem instanti, quo supra horizontem apparet; tum quia umbra ipsius terræ, quæ in lunæ eclipsi rotunda apparet, manifeste ostendit corpus eam causans esse rotundum.

(107. Mundi et terræ rotunditas clarissime demonstratur a geometris et architectis; siquidem eorum perpendiculara terram semper offendunt ad angulos inæquales; et si volunt duas componere turres ad perpendicularum, non sunt parallelæ, sed viciniore intra se in fundamentis, quam in vertice, quoniam, quo plus in altum tolluntur, eo magis dilatantur; uti arcus circulorum cum sunt, ac fiunt grandiores. Unde verificatur, quod quivis homo magis capite, quam pedibus currit; et qui terram circuiret, experiretur peregrisse capite plusquam pedibus tres saltem perticas vulgo *Trabuchi*, supra dimidiam et eo magis quo grandior esset persona, cum minor et exiguior sit circulus, qui pedibus, quam qui capite perficitur.

(108. Ex mundi, et terræ rotunditate clare deducitur vere dari, et exstare *antipodes*, suntque omnes illi terræ incolæ, qui ex diametro oppositi, seu ex diametro pedibus incedunt, terramque premunt. Dicuntur *antipodes*, id est *contrapedes* : nam *ἀντιπός* dicitur ab *ἀντι*, quod est contra, et *πός*, pes quasi contra pes, ut recte notat doctissimus Testatus in *Deut.* VII, 4. Dicti antipodes sunt inter se ita ex diametro oppositi, ut habeant geographicas proprietates omnino oppositas, nam polus uni conspicuus, alteri est inconspicuus, unius *Zenith* est *Nadir* alterius; dum uni sol oritur, alteri occidit, cum uni est meridies, alteri est media nox, dum uni est æstas et dies maxima, alteri est hiems et dies minima, et sic de aliis; suntque ipsi remotiores, qui reperiri possint, nec puncto se movere possunt, quin amittant illam diametralitatem et quin unus alteri appropinquetur.

(109. De eorum existentia dubitarunt olim plerique, inter quos etiam Lactantius *lib.*